



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Puritati internæ quantoperè studendum: cogitationes cuiusmodi solæ sint
fouendæ: mens item quî iugiter in Deum subleuanda. Can. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

electionem personarum, citra distinctionem sexus, omnem hominem in me amplectitur nudæ charitatis effluxione. Itaque plena pio favore, plena charitate congaudens omnium saluti & profectui: atque rursus singulorum necessitatibus, tota scatens compassione cōdoles, benignitate, affabilitate, misericordia & pietate affluens & effluens ad vniuersos, vt ad consolandum, ad feruendum, ad supportandum, & ad subueniendum prona semper ferueas quibuscunq; potes modis, idq; hilari corde omnium infirmitates tum corporales, tum spirituales tuas existimant, & erga quoscunq; pijsimæ matris affectum in te transformans. Quapropter studeas excusare omnes, & promouere oratione, beneficijs, & obsequijs. Porro, in quibus beneficij aliud non potes conferre, saltem vultu benigno, dulci alloquio, & signo, eorum studeas tristitiam delinire. Caue maximè quempiam iudicare aut spernere, quia vehementissimè id animæ tuæ nocet, & mihi displicet, quin potius & suspitiones malas fortiter exclude. Excusa omnes, etiam qui labuntur. Cùm peccantem vides, dic, quod ad emendationem maiorem à me permissus sit tibi, quod ignorantia aut errore deceptus bonam habuerit intentionem, quod nimis validè concessa tentationi eius infirmitas succubuerit. Dic & verè ex animo dic, q̄ multo grauius cecidisses tu, si te hæc tentatio apprehendisset. Diuerso oculo tua & proximi opera debes intueri. Nam tuæ se uero oculo debes trutinare magnificiendo defectus, & virtutes parui pendendo. Contra verò proximi defectus debes parui aestimare, magnipendere verò virtutes. Quapropter semper caue loqui & audire mala de alijs. Nunquam quando iram sentis (si corripiendus sit) proximum arguas. Quid enim prodest, si tu illum sanas & te vulneras? Aut quid confert hæc medicina, si vnum vulnus sanare conaris, & decens interea infligis alia? Expecta tempus correctionis, quando & tu tranquilla sis, & ipse fructum correctionis recipere possit. Corripe eum in spiritu lenitatis & dulcedinis, magis orando, cohortando, quam durè tractando: orans interim gemitibus me, vt correptio in eo salutem operetur. Caue ne dissensionis, dissidij, rixæ, odij ve causa sis: sed ad pacem vbique loquere, memor quod dixerim: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocantur.* Si quis te offenderit, si odio te persequitur, pro malis beneficia, pro duro & liuido vultu, dulcem & ferenum, pro asperis & contumeliosis verbis, mansueta & lenia redde. Hoc modo facilius ad sui cognitionem illum reduces. Ex omnibus laboribus, miserijs, paupertate, contemptu & doloribus, quæ vides in hominibus, collige labores, afflictiones, contemptum penas, ac reliqua dura & aspera, quæ pro te ego sustinui, vt in quouis homine me contempleris, me sentias, me diligas, mihi compatiaris, & in me transformeris.

*Puritati internæ quantoperè studendum: cogitationes cuiusmodi
sole sint fouendæ: mens item qui ingiter in Deum
subleuanda.*

CANON XXX.

Cogitatio-
ac solæ
quam
sunt fouendæ.

STUDE puritati cordis, vt abstracta nulli inhæreas delectationi, imò nullâ quaras, nullam recipias delectationē, ex desiderio delectationis nulli acquiescas. Cogitationes quoq; non solū illicitas, sed ociosas omnes ac inutiles proscinde, nulli scienter in te dans locum. Propositum tuū sit nihil cogitare, nisi aut me, aut propter me. Similitudines & formas rerum, quantum potes, intra te non recipiam.

sed imagines, & phantasias quasunque illic, vt se manifestauerint, repellas. Curas & sollicitudines omnes in me projicias. De quocunque euentu non perturbaberis. Sta semper super custodia cordis tui vigil, ne vlla affectio inordinata ad hominem, seu creaturam quamcunque, nullum desiderium sensuale, nulla passio viciosa, nulla concupiscentia & vt nulla inclinatio, nulla intentio viciosa in te quiescat. Noli consentire vt medium quoduis minimum sit inter me & te. Tu etiam nulla in re teipsum queras aut intendas, sed me solum purè ac simpliciter. Mentem tuam vbi- que erige ad me semper eleuatam tene, vt quicquid loquendum, tractandum, cogitandum ve tibi fuerit, mecum illud primum tractes per orationem & internum colloquium spiritus. Quapropter omnis actio, occupatioq; exterior, materiam & occasionem tibi præbeat orandi: imò ipsa occupatio animi tui non aliud sit, quam iugis perpetuè oratio. Nihil videas tam alienum, nihil tam distortum, ex quo occasionem non haurias orandi atque me laudandi. Ex omnibus eleues mentem tuam, & transferas affectum tuum in me. Quicquid vides pulchrum, quicquid amicum seu delectabile sentis: refer ad me, vt ego solus omnis tua delectatio sim. Omnia te ædificent, & nihil tibi occurrat, ex quo non mediteris animæ tuæ aliquem profectum.

Mens qui
semper ele-
uatur in
Deum.

Vt omnia Dei dona sint purè in ipsum referenda: cor vt ab omni amore impurè seruandum: natura quæ mortificanda: sui item diligens obseruatio quantorum bonorum sit occasio.

CANON XXXI.

EX operibus meis atque donis, nihil tibi debes vindicare. Dona quidem mea cogoscere debes in me & beneficentiam meam, charitatem gratuitam, ac benignitatem admirari. At nihilo minus tuam vilitatem semper ante oculos debes habere & nihilitatem, vt ex donis meis nihil tibi ascribas, nihil vendices. Nec inde gaudeas aut consoleris, quod à me aliquid receperis, quodve in te aliquid operatus sum boni. Non debes inquam propterea gaudere in te & propter te, videlicet quod aliquid assequuta sis, (quia illud esset gaudium proprium) sed debes gaudere in me & propter me, quod tam bonus sum, tam liberalis, tam pius & misericors super indignos & ingratos. Quæ bonitas mea tanto manifestior facta est in te, quanto tu vilior es, & mihi ingrator. Itaq; in donis & ex donis meis leteris, nō propter te, sed propter me. Et propterea huiusmodi habe te (excepta gratitudine & humiliatione, quæ ex donis meis crescere debent) ac si nihil tibi datum, nihil in te factum sit, nihil senseris, oculos tuos dirigens in tuum non esse, non posse, & in tuum deficere ne extollaris, & ne in te gaudeas aut tibi blandiaris, sed omnia refer in me. Si igitur dulcedinem illuminationemve senseris aliquam, aut si per te gratia mea beneficium, bonumve operata fuerit in alio homine, gaudere quidem potes de bono quod ex me factum est, non autem super illo gaudeas in te, videlicet quod tibi hoc faueas atque læteris (latet enim amor proprius) quod per te hoc factum sit, sed auerte cor tuum potius ab illo quod factum est, & à teipso, nequaquam hæc duo simul cogitando, id est, teipsum & meum beneficium (nisi vt dixi, id fieret ad collationem meæ bonitatis, & tuæ vilitatis) sine hoc, pro illo tēpore transire, quasi non sit factū, quasi nihil senseris: & in me interim intēdas, &

Mat. 6.

Dona Dei
vt nemo sibi
ascribere
debeat.

511 2 non